

## THEOLOGICA DEFINITIO ECCLESIAE PROPONITUR

Quaestionibus, quae sonant „Quid est triangulus? Quid est materia? Quid est homo?”, respondent et definitiones et scientificae expositiones. Inter quae duo responsionum genera differentia haec est, quod expositiones scientiarum de natura rerum exhaustivae esse volunt proindeque prolixae sunt; constituunt nempe singulos tractatus: de geometria, de mundo corporali, de natura hominis, et similia. Definitionum autem est naturam rei definiendae una, praegnante et brevi formula ita comprehendere, ut auditor sciat rem definitam recognoscere et ab aliis distinguere. Neque enim ideo definitiones formantur, ut locum teneant scientificorum tractatum vel eorum summam exprimant, sed ut ideam directivam praestent ad recte de natura rei sentiendum. Inde venit principium oeconomiae, quod definitionum efformationem regit: quaevis definitio eo melius suo fini respondet eoque melior est, quo brevior, praegnantior faciliorque intellectu est.

Alterum autem principium efformandarum definitionum est principium essentialitatis: definitio eo melior est quo essentialioribus notis rem definiendam describit. Respondet enim quaestioni „Quid est res?”; non autem quaestioni „Qualis est res?” Definitio accidentalis dicta, quae rem per accidentales notas a ceteris distinctam vult, non explicat, quid sit res; limitatur ad accidentia qualitatesque et ideo dicit tantummodo, qualis sit res. Dum vero praedicata essentialia hierarchice invicem sibi subordinantur, ad essentiam rei proprius accedit propterea optima illa definitio est, quae rem per notas omnino primas fundamentalissimasque describit. Si noscamus essentiam rei metaphysicam — a scholasticis dictam — definitio per hanc essentiam metaphysicam omnino optima esset.

His e metodologia praesuppositis quaeretur infra et proponetur definitio theologica Ecclesiae duobus expositis principiis consona: primo — brevissima et limitata ad paucissima, omnino necessaria elementa; secundo — indicans Ecclesiae praedicata essentialissima, quasi metaphysicam eius essentiam constituentia.

Quaestio, „quid est Ecclesia”, ponitur solviturque et ab apologeticá et a theologia dogmatica. Apologetica tractat de Ecclesia prout est societas visibilis, naturali rationis lumine cognoscibilis; considerat eiusdem proprietates dumtaxat externas. Theologia vero dogmatica tractat de Ecclesia prout est cognoscibilis lumine revelationis divinae ideoque loquitur de omnibus omnino eiusdem proprietatibus, tam internis quam externis, tam inaccessilibus cognitioni rationali quam a ratione naturali cognoscilibus.

Apologetica cognitio rationalis Ecclesiam locat in genere societatum. Quia autem definitio per genus et differentiam specificam perfectissima videtur, huic postulato sequens a pologetica Ecclesiae definitio satisfaciet: Ecclesia est societas religiosa, christiana et catholica. In qua definitione „societas” munus generis generalissimi explet, dum religiositas, christianitas et catholicitas differentias specificas semper specialiores efficiunt. „Societas” indicat visibilem dispositionem coaptationemque — seu organisationem — Ecclesiae, dum „religiositas” finem et media monstrat, a quibus structura societatum pendet; „christianitas” distinguit Ecclesiam a coetibus religiosis non christianis; „catholicitas” denique, manifestata in fide proposita ab Ecclesia Romana et praecipue in structura sociali hierarchica monarchicaque — episcopo Romano exercente munus episcopi totius catholicae Ecclesiae Vicariique Christi — opponit Ecclesiam omnibus coetibus confessionalibus „evangelicis” „reformatis” omnibusque ecclesiis orientalibus, „orthodoxis” et haereticis.

Ecclesia theologicice considerata est corpus Christi mysticum, de quo S. Paulus in epistulis suis „magnis” et in epistulis captivitatis Romanae profundissime disserit. Quaerere theologicam definitionem Ecclesiae est itaque postulare responsionem quaestioni „Quid est corpus Christi mysticum?”. Quia autem ipsa mystici corporis notio ab Apostolo gentium originem dicit, theologica definitio Ecclesiae eo melior erit, quo fidelius et profondius mentem S. Pauli exprimet: hoc est tertium elaborandae definitionis principium.

His principiis positis theologiae definitionis elaborationi exordium dabit negativa assertio: Ecclesia, theologicice spectata, nequit definiri per genus et differentiam specificam. Quod pluribus rationibus constat. Quamquam enim Ecclesia unum quiddam atque individuum in se est, non est tamen una substantia; ipsa quippe corporis mystici Paulina notio omnem pantheismi umbram excludit. Componitur autem pluribus, re et essentia ab invicem distinctis substantiis nempe plurimis numerice distinctis personis humanis, Christo Domino, Spiritu sancto. Quae insuper substantiae in nullo communi genere conveniunt: nam Spiritus sanctus et Christus Dominus, quia Deus verus, sunt supra omne genus, homines autem ad genus speciemque pertinent. Ex quo patet non posse Ecclesiam definiri ad eum modum, secundum quem homo per suum genus differentiamque specificam tamquam animal rationale classice definitur.

Datur tamen alia et quidem vere essentialis definitio hominis, quae dicit hominem esse substantiam compositam ex anima rationali et corpore organico. Quae definitio vere essentialis est, quia homo neque esse neque concipi potest sine anima spirituali, sine corpore et sine amborum unione. Hic autem definiendi modus per partes essentiales componentes distinctionem realem et essentialiem par-

gium — ex. gr. corporis et animae — supponit; propterea potest in-service theologicae definitioni Ecclesiae, compositae e pluribus partibus realiter essentialiterque distinctis. Quapropter positive asseritur: theologica definitio Ecclesiae efformabitur indicatione partium essentialium quibus corpus Christi mysticum componitur.

Sed partes essentialis corporis mystici enumerari nequeunt, priusquam constet, quae res hoc nomine designetur; quodnam sit huius appellationis — ut aiunt — „designatum”

Primo quidem citra omne dubium certum est Corpus Christi mysticum designare Ecclesiam catholicam et cum ea realiter identificari. Hoc. s. Paulus; hoc praecipue litterae encycliche *Mystici corporis* pluries pluribusque modis inculcant. Immo historicis notum est ideo Pium XII illas litteras promulgasse, ut identitatem corporis *Mystici* et Ecclesiae catholicae contra dubitantes stabiliret. Quae specialem probationem non expostulant.

Secundo autem animadvertisendum est „corpus Christi” apud s. Paulum propriissime et in recto non designare nisi Ecclesiam catholicam degentem in terris, prout distinguitur a suo coelesti capite, Christo; Christum autem non designari nisi in obliquo et mediate, mediante — inquam — relatione essentiali corporis ad suum caput. Quod patet e pluribus locis epistularum ad Ephesios et Colossenses, in quibus s. Paulus maturius profundiusque de hoc mysterio loquitur. In Eph. 1, 23: „et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus ipsius et plenitudo eius” caput et corpus, quod est Ecclesia, contraponuntur ut duae partes integrales, simul concurrentes ad efformandam plenitudinem mystici Christi. Quae distinctio designationis adhuc clarius Col. 1, 24 ad oculos ponitur, ubi corpus Christi nullo modo ipsum caput seu Christum designare potest: „gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia”. Corpus autem, cui passiones Apostoli prosunt, nequit comprehendere in se Christum, sed ecclesiam Christi tantum. Idem ex Eph. 5, 23 s. eruitur, ubi relationi Christi capitis ad corpus, quod est Ecclesia, ex parte Ecclesiae subiectionis relatio respondet, quae supponit distinctionem inter caput et subditum: „... Christus caput est Ecclesiae; ipse Salvator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis”<sup>1</sup>.

Ad essentiam corporis Christi ita delimitati visibilis structura socialis Ecclesiae omnino pertinet. Nam corpus Christi non est nisi vera Ecclesia Christi. Sine autem structura sociali hierarchica simul et monarchica nequit salvari identitas corporis Christi mystici cum Ecclesia catholica, quam identitatem encyclica *Mystici corporis* pluries inculcat<sup>2</sup>: immo visibilitatem Ecclesiae ante

<sup>1</sup> In prioribus epistulis Paulinis haec distinctio designationis inter corpus et caput nondum apparent.

<sup>2</sup> AAS, XXXV (1943), p. 199, 200, 201, 210, 211.

ceteras notas inde dederit, quod corpus est<sup>3</sup>. Quae cum ita sint, definitio Ecclesiae per indicationem componentium essentialium definitionem apologeticam Ecclesiae motuet oportet. Itaque etiam in luce revelationis divinae et sub aspectu theologico Ecclesia essentialiter est societas christiana et catholica.

Alterum omnino fundamentale elementum, internum et constitutivum Ecclesiae ut corporis Christi est Spiritus sanctus. Neque enim corporis rationem haberet, nisi viveret; neque unum corpus esset, nisi unitate vitae polleret. Spiritus sanctus vero, affirmante Apostolo, principium proprium est et vitae supernaturalis et unitatis huiusc vitae tam in singulis membris quam in toto corpore: „Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus... et omnes in uno Spiritu potati sumus”<sup>4</sup>. Quod Ecclesiae membra vita spirituali vivant, Spiritus sanctus causat; unitas autem sancti Spiritus efficit — prout citatus textus docet — quod vita spiritualis singulorum membrorum non est omnino individualis, separata et sine relatione ad alios, sed rationem partis in uno toto habet, ad unum totum pertinet et unitate pollet, vi cuius „singuli autem alter alterius membra” sumus<sup>5</sup>. Quia spiritus, quo corpus humanum vivit, anima rationalis est, recte Spiritus sanctus a theologis anima corporis mystici vocatur.

Sed increatus Spiritus sanctus nequit principium vitae supernaturalis esse immediate per suam increatam substantiam; est etenim re et essentia ab omnibus creatis distinctus. Munus principii vitae spiritualis eiusque in corpore mystico unitatis exercet mediate, per charismata gratiasque, quae in corpore operatur „dividens singulis prout vult”<sup>6</sup>, praecipue vero per caritatem, quae „diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum”<sup>7</sup>. Immediatum principium vitae spiritualis in membris corporis Christi mystici est igitur gratia creata caritatis, virtutum et donorum, a Spiritu sancto proveniens. Inde venit quod gratia creata nominari solet anima creata corporis mystici.

Attamen ipsa notio animae creatae corporis mystici neque undequaque placet neque ad definitionem theologicam Ecclesiae assumi debet. Non placet, quia aliena est a Paulina notione corporis mystici: s. Paulus non nisi personam Spiritus sancti novit tamquam animam seu principium unius vitae in corpore mystico. Ad definitionem autem theologicam Ecclesiae non assumetur vi amborum principiorum — oeconomiae et essentialitatis — quae formationi definitionis praesunt. Spiritus sanctus enim magis essentiales partes agit in constitutione corporis mystici quam gratia creata, cum sit

<sup>3</sup> Ibid., p. 199.

<sup>4</sup> I Cor. 12, 13.

<sup>5</sup> Rom. 12, 5. Cfr. 1 Cor. 12, 2; Eph. 4, 25.

<sup>6</sup> 1 Cor. 12, 11.

<sup>7</sup> Rom. 5, 5.

principium eiusdem; sapienti autem sat est Spiritum sanctum tamquam animam corporis mystici nominare, ut sciat illum munus hoc mediante gratia quam infudit, exercere. Expressa mentio solius Spiritus sancti, omissa gratia creata, definitionem Ecclesiae breviorem, clariorem magisque essentialiem reddet.

At corpus mysticum essentialiter Christi est. Haec relatio ad Christum omnino fundamentalis est in constitutione corporis mystici; immo adhuc magis fundamentalis quam relatio ad Spiritum sanctum. Nam ipse Christus — affirmante Apostolo — principium est „ex quo totum corpus augmentum” sumit „in aedificationem sui in charitate”<sup>8</sup>; ipse etiam, sicuti Spiritus sanctus, est principium vitae eiusque unitatis in corpore suo, quod est Ecclesia. Ipse est insuper principium ipsius Spiritus sancti, quem mittit, ita ut hic sit vere Spiritus Christi<sup>9</sup>. Proinde sine hac relatione ad Christum — omnium maxime essentiali — corpus mysticum omnino neque concipi neque recte definiri potest. Quomodo vero haec relatio ad Christum in ipsa notione corporis mystici includenda sit, ipse Apostolus insinuat, dum scribit: „Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius”<sup>10</sup>. Possessio Spiritus Christi est illi signum et conditio unionis nostrae cum Christo capite. Quae cum ita sint, unica expressa mentio Spiritus sancti, seu Spiritus Christi, in definitione Ecclesiae duo simul munera explebit: et relationem ad Christum, omnium maxime essentialiem, indicabit et „functionem” animae in corpore mystico. Tali modo et principio oeconomiae et principio essentialitatis in definitionibus efformandis satis fit.

His praesuppositis tres proponuntur theologicae definitiones Ecclesiae:

a) Ecclesia est societas christiana et catholica, unita Spiritui sancto, tamquam principio unius vitae supernaturalis in ipsa.

b) Ecclesia est Spiritus sanctus, unitus societati christiana et catholicae, tamquam principium unius vitae supernaturalis in ea.

c) Ecclesia est unitas vitae supernaturalis in societate christiana et catholica.

Post ea, quae iam supra dicta sunt, definitiones propositae paucis tantum explicationibus indigent. Et quidem apparent primo, duas priores definitiones sibi invicem affines esse: tertia alterius generis est et ideo separatim explicanda erit.

Quamvis utraque prior definitio formata sit ad similitudinem illarum, quae per indicationem partium essentialium fiunt, sola societas christiana rationem partis veri nominis habet; Spiritus vero sanctus Christi assimilatur dumtaxat parti, proprie autem pars non est. Nam

<sup>8</sup> Eph. 4, 16.

<sup>9</sup> Rom. 8, 9; Gal. 4, 6.

<sup>10</sup> Rom. 8, 9.

pars proprie dicta dependentiam a toto et a ceteris partibus secum fert. Increatus Spiritus sanctus a nullo dependet et propterea pars veri nominis numquam esse potest. Assimilatur tamen partibus et ideo quasi pars concipitur nominaturque, quia ad constituendum totum concurrit omnis autem dependentis ex parte societatis christiana se tenet, quam Spiritus sanctus supernaturaliter vivificat.

Definitio latior ipsi definito vitiosa est. Comprehensionem realem Ecclesiae, theologico spectatae, s. Paulus circumscribit dum affirmat corpus Christi esse Ecclesiam. „Societas christiana et catholica” in definitione Ecclesiae est itaque omnino necessaria ad hanc identitatem realem Ecclesiae servandam. Spiritus sanctus autem duplex munus in dictis definitionibus implet: Primo ad instar animae corporis mystici se habet; nam ipse non solum principium est vitae supernaturalis in membris societatis christiana et catholicae sed eiusdem etiam vitae unitatis, vi cuius plurima membra memoratae societatis unum corpus efficiunt. Ipse quasi formaliter causat, quod singuli unum corpus sumus. Hoc primum munus S. Paulo in citato iam supra 1 Cor. 12, 13 indicat; de Spiritu sancto, principio unitatis in corpore mystico fuse et egregie litterae encycliae *Mystici corporis loquuntur*<sup>11</sup>. Secundum autem munus Spiritus sancti in definiendo corpore mystico seu Ecclesia in eo est, quos ipse causa est corpori mystico essentialis relationis ad suum caput, Christum; causa est, cur corpus istud sit essentialiter corpus Christi et ad Christum caput pertineat. Hoc munus, ut supra dictum est, indicatum inventitur a S. Paulo: Rom. 8, 9.

E duabus prioribus definitionibus profundior secunda est et eximiā dignitatem Ecclesiae Christi clarius ante oculos ponit: Sicut homo magis est anima quam corpus ideo, quod anima est forma substantialis hominis et corpori ipsi praestat, quod est vere humanum corpus, ita Spiritus sanctus, munus animae corporis mystici exercens, officit formaliter, ut societas christiana et catholica fiat corpus Christi; proinde Ecclesia ipsa, theologicē considerata, magis est Spiritus sanctus, unitus societati, quam ipsa christiana catholicaque societas, quamvis ambo elementa ad constituendum Ecclesiam necessaria sint.

Definitio tertia quasi formalis est, indicat enim in conceptu Ecclesiae, inquantum corpus mysticum est, id per quod — secundum nostrum modum concipiendi — immediate et primo rationem corporis, non socialis tantum, sed mystici habet. Haec autem est unitas spiritualis vitae in societate christiana et catholica exercitae: siquidem singula membra Ecclesiae non sunt unum corpus nisi propterea quod sub aspectu spiritualis vitae unum quid inter se et cum capite Christo constituunt. Quae unitas spiritualis vitae in dupli ordine sistit: primo — in ordine dependentiae membrorum per respectum

<sup>11</sup> AAS, XXXV (1943), p. 219 s; 231 s.

ad Christum caput, „ex quo totum corpus... augmentum corporis facit in aedificationem sui” (Eph. 4, 16); secundo — in ordine mutuae dependentiae membrorum ab invicem, vi cuius „sumus singuli alter alterius membra” (Rom. 12, 5).

Definitio tertia rationem scholii habet deducti a duabus prioribus, quas omnino supponit. Una cum illis socialem aspectum Ecclesiae inculcat, ut identitatem realem eiusdem servet. Differt autem ab illis in quantum memoratae definitiones expresse et in recto essentiali relationem corporis ad Spiritum sanctum, animam corporis; relationem vero ad Christum caput implicite tantum et in obliquo indicant. Haec tertia — e contra — solam relationem ad Christum, caput corporis et principium unitatis, meminit; et hoc non expresse, sed implicite tantum, in quantum nempe relatio ista in ipsa definitione unitatis vitae supernaturalis includitur: dictum est enim unitatem hanc in ordine dependentiae a Christo capite consistere et in ordine mutuae dependentiae membrorum ab invicem. Relatio ad Spiritum sanctum, anima corporis mystici, indicatur implicite et in oblique tantum, in quantum Christus per Spiritum sanctum, quem mittit, principium est vitae supernaturalis eiusdemque vitae unitatis in mystico suo corpore ita, ut relatio dependentiae — et unionis simul — necessario secum trahat relationem dependentiae — simul et unionis — per respectum ad Spiritum sanctum. Definitio tertia proinde eadem, quoad rem, continet elementa ac definitiones priores, sed ea sub alio aspetto considerat.

Definitio tertia non est vere formalis, sed definitionibus formalibus assimilatur et quasi formalis dicenda est, quia unitas supernaturalis vitae non est forma proprie dicta, sed solum ad modum formae a nobis concipitur. Nam unitas non est quaedam positiva entitas, quae realiter a re una differat; sed realiter idem est ac res una. In quantum proprietas entis, distincta ratione ab ipso ente uno, duplum importat negationem identitatis: affirmatam in distinctione ab omnibus aliis, et negationem negationis identitatis, affirmatam in indivisione in se. Repugnat autem, prout omnes norunt, qualemcumque negationem esse veram formam.

Quodsi secundum rem unitas idem sit ac ipsa res, quae est una, idem designabunt et „unitas vitae supernaturalis” et „una vita supernaturalis” et „vita supernaturalis” simpliciter dicta. Tali significazione supposita definitio tertia transformari potest in enuntiationem aequivalentem quod rem: Ecclesia est vita supernaturalis in societate christiana et catholica.

Praedicta transformatio definitionis tertiae valorem definitionis via agreeque habebit, nam a definitione requiritur, ut explicite enuntiet principia essentialia rei definiendae. Quamvis autem utraque relatio, cum ad Christum cum ad Spiritum sanctum, ad essentiam supernaturalis vitae pertineat, neutra per conceptum vitae supernaturalis explicite indicatur. Sub hoc respectu cedit definitioni tertiae, quae in ipsa

definitione unitatis vitae supernaturalis explicite relationem ad Christum, corporis mystici caput, includit.

Attamen prae omnibus tribus definitionibus duas habet praerogativas: prima in eo est, quod interpretationem dat ipsius evangelicae notionis Ecclesiae — Regni Dei; secunda vero in hoc sistit, quod respondet dilemmati a theologis protestantibus posito, utrum scilicet Ecclesia Christi sit institutio an actus et operatio, événement, Ereignis.

Constat Regnum Dei, quod secundum evangelia est Ecclesia, esse actum dominii, actum regnandi exercitum a Deo in societate christiana et catholica. Huic divino actui oportet correspondeat ex parte hominum actus correlativus, inseparabiliter cum eo coniunctus, actus — dico — subiectionis dominio divino; nam dominium actualiter exercitum existere nequit sine actuali subiectione. Quae subiectio, actualiter exercita, nihil aliud est quam supernaturalis vita in societate christiana et catholica, seu in Ecclesia; vita, inquam, actualiter considerata.

Ex quo etiam patet Ecclesiam Christi, in doctrina catholica, transcendere dilemma propositum a theologis protestantibus: neque simpliciter est institutio, neque simpliciter actus seu operatio, sed est actus et operatio in societate — ergo: institutione — christiana et catholica. Est actus et operatio Dei actualiter regnantis et actus operatioque supernaturalis vitae membrorum Ecclesiae: ambo autem exercentur in societate christiana et catholica. Hoc modo vetera — evangelica nempe notio Regni Dei — novissimis hodiernisque iunguntur.

Dissertatiuncula praesens supponit totam doctrinam tractatus dogmatici de Ecclesia, corpore mystico Christi; praesertim vero supponit doctrinam expositam in litteris encyclicis *Mystici corporis*. In concreto supposita intelligantur omnia, quae ibi dicuntur de modo, quo Christus, et quo Spiritus sanctus est principium vitae supernaturalis eiusque unitatis, necnon de natura huiusc unitatis. Auctori dissertatiunculae optime notum est etiam alias, easque meliores, quam ipse dare quivit, definitiones theologicas Ecclesiae formari posse, quae cum dicta doctrina catholica adamussim concordent.